

AK. 431, 17.

II.C
1466

DE
**DIGNITATE VESTALIVM
DISSERIT**

ET SIMVL

**DOMINO
M. DANIEL GOTTL
LOB
MVLLERO**

FRATRI SVO PERDILECTO


**DE DIGNITATE MVNERIS SACRI
FRANCOHVSÆ NVPER IPSI DEMANDATI**

GRATVLATVR

DANIEL TRAVGOTT MVLLERV,
S. S. THEOL. STUDIO SVS.

CHEMNICII IPSIS CALENDIS JVNII A. MDCCXXXVII







a. a.

§. I.



Entes istae, quarum mentes spissa caligine erant obnubilatae, non tamen adeo caecae fuerunt, ut non viderent, quod detur summum aliquod numen, primus omnium rerum auctor. Sed quis ille Deus, & qua ratione sit colendus, hoc erat, quod plane ignorabant. Hinc verus, veroque Deo debitus cultus ab his reddebaratur Diis fictis; religioque, quam seruabant, nugis & superstitione erat repleta. Interim tamen inficiari neutiquam possumus, quod non solum obseruandae, sed etiam amplificandae religionis his antiquis gentibus studium fuerit longe maximum. Quanta veneratione erat civitas Romana in Deos! ut *Valerii Maximi* verbis vtar. Quam religiosas manus mentesque adhibuerint alii populi templis numinibusque ipsis, quae ipsimet excogitauerant, silentio praeterire jam liceat. Roma, caput orbis terrarum, potentiae, vti existimat Vrbis incolae, diuinae adsidue famulara est, & omnia post religionem esse poneanda duxit. Hinc eos quoque, qui sacra obseruabant, sacerdotes, augures, auctores, reliquosque summo semper sunt dignati honore. Quod si omnia honorum genera iis praestita exponere animus mihi esset, volumen satis ampliae magnitudinis conscribi posset. Hinc tantummodo quaedam de dignitate

A 2

sacer-

* * *

Sacerdotibus Vestae, Virginibus Vestalibus, concessa exponere, in
animum induxi.

§. 2.

Probe quidem cognitum habeo, quod alii iamiam id egerint. Fecit id in primis *Lipsius in Syntagmate de Vesta & Vestalibus*. *Pressit ejus vestigia Abbas Nadalius dans l'Histoire des Vestales* (a). Alios quoque idem ad gressos esse, nullus plane dubito. Nonne vero hac ratione Iliada post Homerum velle scribere videor? Non quidem tantum viribus meis confido, ut putem, me Viros tanti nominis vel adsequi vel superare posse; sed modo periculum facturus sum, quid humeri mei valeant, quid ferre recusent, & quid diligenti auctorum antiquorum scrutatione de hac materia congettere queant: praecipue cum scriptores istos laudatos manibus versare mihi non licuerit.

§. 3.

In dignitate autem Virginum Vestalium recensenda ita me geram, ut primo fontem hujus auctoritatis, deinde vero ipsa varia, quibus gauisae sunt, honoris genera explanem.

§. 4.

De causa itaque, cur tantis Vestales fruitae sint priuilegiis, indaganda sollicitus video omnibus constare, quod nulla alia sit, quam cura sacerdotii & sacrorum Vestae. Vestam Deam certe insigniter coluerunt Persae, Affyrii, Chaldae, Medi, Graeci, &, qui primo erant allegandi, Romani. Hi cultum Vestae accepere a generis sui satribus, Trojanis, si modo fidem *Virgilio* addere volumus. Is enim, dum sugam pii Aeneae e Troiae flaminis describit, sic canit (b):

manibus vittas, Vestamque potentem,

Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.

Vestam a Trojanis cultam esse, confirmat quoque *Sidonius Apollinaris* adscribens (c)

Thebis

(a) Editus est hic liber Parisis, A. 1725, & recensetur in Actis Erudit. A. MDCCXXIX.
Mens. Julio, p. 320. (b) Lib. II Aeneidos v. 296, seq. (c) Carm. IX. v. 133.

Thebis Euhion, Ilioque Vestam.

Penates Troianos, & in his quoque Vestam, ab Aenea in Italianam inlatos, Lauinii mansisse primum, mox ab Iulo in Albam a se conditam translatos, pristinam Lauinii sedem sua sponte repetiisse, Alexander ab Alexandro etiam auctor est (d). Inde videimus, eur Livius, loco mox adlegando, cultum Vestae Alba oriundum sacerdotium nominet.

§. 5.

Quod perro hic cultus Romae fuerit maxime vetustus, vel ex solo probari posset Cicerone, quod sacrificium, inquiete (e), tam *vetus est*, quam hoc, quod a regibus aequale huic Vrbi accepimus? & paullo inferius, quid hic intelligi velit, sic exponit: *quod fit per virgines Vestales, fit pro populo Romano, fit in ea domo, quae est in imperio, fit incredibili caerimonia, fit ei Deae, cujus ne nomen quidem viros scire fas est.* Id vero majori difficultate laborat, quis Vestae jus ciuitatis dederit, & in numerum numinum Romae adorandorum eam introduxerit? Alii enim id Romulo, alii vero Numae Pompilio tribuunt. Vtraque pars suam firmis suffulcire argumentis videtur sententiam. Praetermitto ista, haec tantummodo addens, quod in Numae partes ire me iubeant Plutarchus (f), Liuius, Florus, aliqui fide digni scriptores. Liuii sane verba admodum sunt clara de Numa haec scribentis (g): *Virgines Vestae legit: Alba oriundum sacerdotiorum, & genti conditoris haud alienum. His, ut ad fiduae templi antisites essent, stipendum de publico statuit.* Idem ejusdem fere sententiae verbis adfirmat Florus (h): *In primis focum Vestae virginibus colendum dedit, ut ad simulacrum caelestium siderum custos imperii flamma vigilaret.*

§. 6.

Id vero multo difficilius est disquisitu, unde nomen Vestae jure deducatur, & quid sub hac voce intelligatur. Fabulas de Vestae

A 3

gene-

(d) Lib. V. Genialium Dierum cap. XII. (e) Orat. de haruspicium responsis, cap. XXXVII.

(f) in Numa. (g) Dec. I. Libr. I. p. m. 23. (h) Lib. I. cap. II.

generatione silentio inuoluimus, hoc solum adnotantes, quod aliis
Vesta sit terra, aliis ignis, alii vero utramque combinare conentur
sententiam.

§. 7.

Varias admodum sententias inuenies de origine vocis Vestae; in
quibus vero recensendis brevitati studebimus. Terram esse Vestam
multi probare cupiunt, in quibus *Ouidius*, ingenii praeclari Poeta,
eminet, *a vi stando eam nominari his verbis* (i) innuens:

Stat vi terra sua: vi stando Vesta vocatur,

Causaque par Graii nominis esse potest.

Graeci appellant eam Ἐσίαν: hinc nonnulli dicit ἐσάντες περὶ πάντων
quod per omnia constet, sic dici existimant. Alii porro a vestiendo
hoc respectu Vestam deducunt, quod nimis terra vestiatur va-
riis herbis & plantis.

§. 8.

Alii, qui sub Vestae nomine ignem a Romanis cultum esse ad-
seuerant, rem felicius terigisse mihi videntur. De iis enim sacris,
quae huic Deae praestita sunt, nulla alia, quam ignis perpetui admini-
strationem accepimus. Et licet non desint, qui alia sacra in templo
Vestae adseruata esse pronuncient; non tamen, quae ista fuerint, de-
monstrarunt. Et sic quoque, Palladium ex ardente Troia eruptum,
aliaque simulacra Vestalium custodiae esse concredita; non tamen
inde euinci potest, quod hae imagines Vestae fuerint sacratae. Si
hoc enim concesseris, adfirmare quoque necesse esset, quod testa-
menta aliaque, quae occulta esse decebat, in templo Vestae abdita,
ad ejus cultum pertinuisse. Nos sane in hac nostra sententia stabili-
lienda antiquorum scriptorum neutiquam destituimur auctoritate.
Ouidius sane incertus fuit, num Vestam terram ignemue adpellare
debeat, nostraeque fauere sententiae videtur, dum ita canit (k):

*Nec tu aliud Vestam, quam viuam intellige flammam,
Nataque de flamma corpora nulla vides.*

Jure

(i) Lib. VI, Fastorum, v. 299. seq. (k) I. c. v. 291 - 298.

• 30 •

Jure igitur virgo est, quae semina nulla remittit,

Nec capit, et comites virginitatis amat.

Esse diu stultus Vestae simulacra putauit:

Mox didici, curuo nulla subesse tholo.

Ignis inexstinctus templo celatur in illo:

Effigiem nullam Vesta nec ignis habent.

Multo luculentiora autem sunt verba Ciceronis (l) Graecæ & Latinae linguae insigniter gnari, quae hic adponere mihi licitum sit: *Vestae nomen a Graecis: ea est enim, quae ab illis ēsia dicitur. Vis autem eius ad aras & focus pertinet.* Idem iisdem fere verbis ostendit alibi (m) quoque: & dum slectere judices cupit, ut miscreantur Fontei eiusque sororis, virginis Vestalis pro fratre deprecantis, ita verba facit (n): *Prospicite, ne ignis ille aeternus, nocturnis Fonteiae laboribus vigiliisque seruatus, sacerdotis Vestae lacrymis exstinctus esse dicatur.* Velleius Paterculus quoque volumini suo impositurus colophonem, votumque pro imperio Romano Caesareque Tiberio adnexurus, *Vestam* inuocat, eamque *perpetuorum custodem ignis* um adpellat (o). Quae cum ita sint, ea non penitus reiicienda esse censeo, quibus Joannes Jacobus Cramerus (p) in memoriam *ignis caelitus delapsi, & Patriarcharum sacrificia consumentis, gentiles Vestam veneratos esse sibi persuasit.* Cuius quidem rei documentum ex ipso nomine cepit, cum vox *Ēsias seu Vestae, ex eius mente Ebraicam redoleat originem, & ex ἦ ΘΝ, ignis Dei seu ignis Deus, commode deriuari posse videatur.* Varia quoque ex numis, vt idem confirmet, attulit.

§. 9.

Hinc opus non esse puto prolixiori eorum resutatione, qui *Vestam & ignem & terram simul autumant, praecipue, cum in confirmandis*

(l) Libr. II. de Natura Deorum cap. LXVII. (m) Libr. II. de Legibus cap. XXIX. (n) Orat. pro Marco Fonteio cap. XXXVII. (o) Libr. II. Hist. Rom. cap. CXXXI. (p) in Exercit. Philolog. de ora exteriore templi secundi Lugduni A. 1697, impressis, quae recensentur in Act. Erud. it. MDCXCVIII. Mens. Februar. p. 95.

mandis suis dictis ignorantiam rerum naturalium prodant insignem.
Dionysii Halicarnassensis & Plutarchi dicta huc spectantia adponam, e
 quibus, quam infirmo haec sententia stet talo, unusquisque primo
 statim intuitu videbit. *Dionysius* hac de re ita differit (q). Εἰσὶ^ς
 δὲ ἀναγέδαι τὸ πῦρ νομίζεσθιν, διὰ γῆς περὶ οὐτα θεός, καὶ τὸν μέσον κατέχουσα
 τόπον, τὰς αἱράψεις τοῦ μετεγενέσιον ποιεῖται πυρὸς ἀφ' ἑαυτῆς. En etiam
Plutarchi verba (r) & quidem in sermonem latinum translata, quo-
 niā graeciā textus inspiciendi mihi facultas iam non fuit: Di-
 citur Numa Vestae templum rotundum condidisse, ubi perpetuus
 ignis seruaretur: imitatus vero terrae figuram, quasi lar focusque
 sit, sed totius mundi potius, cuius medium Pythagorici putant ignis
 sedem, Ο id larem vocant & monadem.

§. 10.

Dum itaque virgines, de quibus hic sermo est, Vestae, quae
 tantis honoribus a Romanis adsciebatur, famulabantur, fieri non
 poterat, quin ipsae quoque honorum Vestae exhibitorum parti-
 cipes redderentur. Iste enim, qui se totum cuidam personae, in inlu-
 stri loco posita, dedicauit, ab aliis ideo varia venerationis accipit
 signa. Accedebat ad hanc earum auctoritatem insignis castitatis
 opinio, quam ut perpetuo seruarent, & Deae sacerdotio castas san-
 ctasque admouerent manus, Numa eas multis caerimoniis sanctas
 venerabilesque fecit. Hinc illas, ut alios taceam, Cicero castissimas
 Vestae sacerdotes nuncupat (s). Et *Dionysius Halicarnassensis* in-
 quirit (t). Τιμαὶ δὲ αὐταῖς ἀπόδεδοται παρὰ τῆς πόλεως πολλαὶ καὶ κα-
 λαὶ διὰ αὐτῆς παιδῶν εἰνι αὐταῖς πύροι, οὐπε γάμων. En! igitur caus-
 fas, ob quas tanta gloria fuere exornatae. Num dignae fuerint tan-
 tis priuilegiis, & num praecipue castitati semper studuerint perpe-
 tuae, dubitare nostro jure possimus. Quod sacra Deae aliquoties
 polluerint, si modo facti numinis impurus cultus profanari potest,
 certe extra aleam positum, & exemplis comprobatum est complu-
 tribus.

(q) *Antiq. Roman.* Libr. II. ex edit. Sylburgii T. I. p. 125. (r) in *Numa*. (s) in *Orat.*
 pro domo sua ad Pontifices cap. CXLIV. (t) *Lib. II. Antiquit. Roman.* T. I. p. 126.

ribus. Hinc *Baltus* (u) comparat *Vestalium virginum caelibatum* cum *virginitatis studio inter Christianos, quamque longe illae a vera & germana castitate abfuerint, luculenter docet.* Nos hanc disquisitionem lubentes praetermittimus, & potius, quibus rebus auctoritas earum maxime fuerit conspicua, attenti nunc exploramus.

§. II.

Honori itaque eis cedebat non infimae notae ipsa electio vel initiatio. Illi enim, cui hoc munus contingebat, eo ipso, quod corporis, animi, fortunaeque donis sit instructa insignibus, testimonium perhibebatur luculentissimum. Cogebantur enim ad hoc ministerium non nisi illae *arbitrio decretoque Pontificis Maximi, quibus summa integritas, pudor & virtus foret; neque illae, quarum mater cum viro dissidium fecisset, neque in eodem coniugio maneret.* Sed nec minor sex, neque decem annis maior capi poterat, quaeue patria vel matrimonia non esset, neque ea, quae aliquo oris aut sensus vito laboraret (x). Virginem itaque his dotibus gaudentem Pontifex Maximus, cuius tutelae imperioque commissae erant Vestales, manu prehendit, atque tanquam bello captam vel volente, vel in vita patre, abduxit, hac solemni formula utens: SACERDOTEM. VESTALEM. QVAE. SACRA. FACIAT. QVAE. JOVS. SIET. SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPOLO ROMANO. QVIRITIBVS. Q. VTEI. QVAE. OPTVMA. LEGE. FOVIT. ITA. TE. AMATA. CAPIO. (y). Cur vero Pontifex Maximus eam, quam capiebat, virginem Amatam dixerit, ex *Gellio & Alexandro ab Alexandro* patet, quippe qui referunt (z), primae Vestae sacerdoti hoc fuisse nomen, & ideo quamlibet ad hos ritus destinatam idem accipisse. Tondebantur postea Vestales, cum in sanctum Collegium istud receptae a Pontifice certo carmine sacrarentur ac Diis voverentur.

B

rentur.

(u) dans le jugement de SS. Peres sur la Morale de la Philosophie payenne Lib. II, cap. XVII. Vide, si lubet, Acta Eruditorum Mens. Februar. A. MDCCX. p. 67. (x) Verba sunt Alex. ab Alex. Genial. Dier. Lib V. cap. XII. (y) vti Gellius Lib. I. cap. XII. Noct. Attic. ex Libro I. Fabii Pictoris haec refert. (z) locis modo citatis.



rentur. Capillus vero delectus deferebatur ad arborem, quae capillata dicebatur: cuius quidem arboris mentionem fecit C. Plinius Secundus (aa).

§. 12.

En igitur, quanta veneratione sacerdotibus Vestae annumeratae sint virgines. Facillum exinde est coniectu, quod postea quoque, cum ipso sacerdotio fungerentur, variis priuilegiis non caruerint haud contemnendis. Supra iamiam monui, quod eae, quae huic ordini inseri cupiebant, iure neque minores sex, neque decem annis maiores fuerint. Vnusquisque porro, qui Romanorum rituum scientiam a limine saltem salutavit, cognitum habebit atque perspectum, quod liberi patriae potestati maxime fuerint subiecti. In primis vero sexum sequiorem vel patris vel mariti iussis dicto audientem esse, fas erat. Omnia, quae feminae gesserant, inuito patre vel marito, eo ipso erant irrita. Insigne sane honoris signum erat, quod istae, quae tres filios pepererant, ab hoc legis rigore essent exemptae. Puellae vero cultui Vestae destinatae idem ius adipiscabantur. Simil atque enim in atrium Vestae deducta, & Pontificibus tradita est virgo, eo statim tempore sine emancipatione ac sine capitis minutiōne e patris potestate exit, & iuste testamenti faciundi adipiscitur (bb). Hoc ei tributum est, ut, licet esset sub patris iure, postquam ad sacerdotium adscita est, sui iuris effectac testandi, manumittendique, etiam sine curatore, libera facultas foret (cc). Idem confirmat Plutarchus (dd), certiores nos faciens, quod Numa Vestalibus magnos honores reddiderit, inter quos is est, inquit, ut etiam viuo patre testamentum condere, ac cetera gerere sine curatore queant: quemadmodum trium filiorum matres.

§. 13.

Alia, quibus Vestales eminuerunt, adgredienda nunc esse censeo. Ex iis, qui antiquitates Romanas descriplerunt, patet, quod summi ma-

(aa) Libro XVI. Naturalis Historiae cap. XLIV. Vide etiam Jacobi Dalechampii Adnotationes ad hunc locum. (bb) vt i testatur Gellius Libr. I. cap. XII. (cc) inquit Alex. ab Alex. Gen. Dier. Libr. I. cap. XII. (dd) in Numa.

magistratus tantummodo lictoribus, qui fasces ante eos portarent, & plebem & mala fama notatos submouerent, vñi sint. Posset hoc loco moneri, quod Reges Romanos adparitores, viatores & lictores comitati sint. Posset exponi, quales officii partes cuique horum fuerint attributae. Item de numero lictorum, quot unicuique magistratui lictores cum fascibus praeiuerint, quaedam congerere, facile esset. Sed id tantummodo adiicimus, quod Vestales quoque lictores praecesserint. Hinc *Plutarchus* in honoribus Vestalium enumerandis addit, *fascibus quoque, cum prodeunt, deducuntur.* Huic alii quoque, adstipulantur, & in iis saepius iamiam laudatus *Alexander ab Alexander* (ee). Adiungimus huic *Annaci Senecae* loca bina, e quibus simul elucescit, quod, Vestali quadam in publicum prodeunte, & Consuli Praetoriue occurrente, hi fasces suos submiserint, & se hac ratione minores professi sint. *Seneca* igitur demonstraturus, quam iniuste virgo quaedam, quam, licet inuitam, prostitutam esse sulpicabantur, Vestae petat sacerdotium, exclamat (ff): *Procedente hac lictor submouere videbitur?* (vel vt *Lipsius* (gg) emendat, *iubebitur?*) *Huic Praetor via cedet?* *Summum imperium Consules cedent tibi?* *Quaecunque meretrix prostrata fuit, fugiet?* Et alibi (hh) virginis Vestali, (quae hunc scriplerat versum: *Felices nuptae: moriar, nisi nubere dulce est*) sic exprobrat temeritatem: *Tibi magistratus suos fasces submittunt.* *Tibi Consules Praetoresque via cedunt.* *Numquid exigua mercede virgo es?* Num vero cuiuslibet Vestalis ministerio unus pluresue lictores inseruerint, hoc me ignorare non diffiteor.

§. 14.

Quanta fuerit potestas Tribunorum plebis, quam varia Consulum Patrumque Conscriptorum decreta una voce destruxerint, notum, & passim in *Liuio* videre est. Quantas turbas excitauerint intercessione sua & pronunciando voculam potestate plenam, *Veto*, dici vix potest. Cum vero neque Consules, summum Romanorum

B 2

impe-

(ee) Lib. I. cap. XXVII. (ff) Libr. I. Controversiarum, Controu. II. (gg) Lib. I. Electorum, cap. XXII. (hh) Controversi. VI. Libr. Controv. VIII.

* * *

imperium, neque alii magistratus vim Tribunorum, nullis limitibus circumscriptam, infringere saepius possent, virgo tamen Vestalis quae-dam id effecit. Patet hoc e Suetonio, qui hanc historiam his deli-neauit verbis (ii): *Virgo Vestalis, (e gente Claudia orta,) fratrem in-iussu populi triumphantem, adscenso simul currū, usque in Capitoli-um prosecuta est, ne vetare, aut intercedere fas cuicquam Tribunorum esset.* Differunt quidem a Suetonio Cicero & Valerius Maximus, & Claudiam patrem, non fratrem, comitatam esse aiunt: attamen tota historia propterea in dubium vocari non potest. Interim vtriusque verba hic adponere lubet. Et Cicero quidem fatur (kk); *non virgo ista Vestalis Claudia, quae, patrem complexa, triumphantem ab ini-mico Tribuno plebis de currū detrahi passa non est?* Valerius Maximus hoc Claudiæ factum magis extollit laudibus, haec memoriae pro-dens (ll): *Quae (Claudia Vestalis virgo) cum patrem suum trium-phantem e currū violenta Tribuni plebis manu detrahi animaduer-tisset; mira celeritate utrisque se interponendo, amplissimam pot-e-statem inimicitiis accensam depulit. Igitur alterum triumphum pater in Capitolium, alterum filia in aedem Vestae duxit. Nec di-scerni potuit, utri plus laudis tribueretur, an cui victoria, an cui pietas comes aderat?*

§. 15.

Quam sacras Romani duxerint Vestales, ex aliis, iisque variis adparet factis. Quando vi morbi cogebantur templum Vestae relin-quere, & ad cognatos suos se conferre, matronarum erat, eas souere atque curare. Plinium audiamus hac de re nobis testimonium cla-rum perhibentem (mm): *Angit me Fanniae valetudo; contraxit hanc, dum adsidet Iuniae virginī Vestali, sponte primum, est enim adfinis, deinde etiam ex auctoritate Pontificum. Nam Virgines, cum vi morbi atrio Vestae coguntur exceedere, matronarum curae custo-diaeque mandantur, quo munere Fannia dum sedulo fungitur, hoc discri-*

(ii) in Tiberio cap. II. vide Adnotationes Pitisci ad hunc locum. (kk) in Orat. pro Mar-co Coelio cap. XXXIV. (ll) Lib. V. cap. IV. tit. 6. (mm) Lib. VII. Epist. XIX.

discrimine implicata est. Ea, quae gloriae iis cedeant, memorat quoque Plutarchus his verbis (nn): *Si casu in quenquam inciderint, cum ad letum agitur, necari eum non licet: verum deierare virginem oportet, se non ultiro, sed forte, non autem dedita opera & de industria obuiam factam. Qui autem occurrerit, cum ipsae fere tro vehuntur, moritur.*

§. 16.

Cum itaque Vestae Vestaliumque sanctitatis tanta fuerit opinio, mirum non est, quod ad eas confugerint variis calamitatibus pressi, quod preces earum ad leniendam Deorum hominumque iram adhucuerint, & quod ibi testamenta aliaque secreta reposuerint. Singula exemplis erunt stabilienda. Ciceroni inter oratores eminenti hic quoque primum locum tribuo. Iste, dum Roma pulsus erat, & invidiam multorum experiebatur, scribit suae vxori Terentiae (oo): *Ad me P. Valerius, homo officiosus, scripsit, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum a Vestae (scilicet templo) ad tabulam Valeriam ducta essem. Hem mea lux, meum desiderium, unde opem petere solebant omnes, te nunc mea Terentia sic vexari, sic iacere in lacrymis & sordibus! idque fieri mea culpa, qui ceteros seruauit, ut nos periremus!* Quam firmo argumento, Fonteiae precibus & lacrimis ad liberandum iudicio eius fratrem hic oratorum princeps usus sit, supra (pp) iamiam adductum est. Messalina tanta, quanta vix illa femina, libidine clara, quae nuptias cum Silio, viuo adhuc priore marito Caelare Claudio, contraxerat, cum iustum sibi poenam imminere videret, Vibidiam virginum Vestalium vetustissimam oravit, Pontificem Maximum adire, clementiam expetere. Narcissus vero Caesaris libertus Messalinae perniciei quam maxime intentus cum liberos eius amouisset, Vibidiam depellere nequieuit, quin multa cum inuidia flagitaret, ne indefensa coniux exitio daretur. Ergo auditurum principem, & fore diluendi criminis facultatem, respondit; iret interim virgo, & sacra capesseret (qq). Quan-

B 3

tam

(nn) in Numa. (oo) Lib. XIV. Epist. ad Familiares Epist. II. (pp) §. 8. (qq) C. Cornelius Tacitus haec enarrat Lib. XI. Annalium, cap. XXXII.

tam Romae exercuerit Sylla potentiam, non est in obscuro. Quanto hic odio in Iulium Caesarem latus sit, Suetonius nos docet: idem vero dicit simul (rr) Caesarem a Sylla per virgines Vestales, perque Mamercum Aemilium, & Aurelium Cottam, propinquos & affines suos, veniam impetrasse. Earum quoque operam adhibitam esse in pace expetenda, satis constat. Certe A. Vitellius Caesar, cum multorum ciuium odia in eum arderent, suaſit Senatui, ut legatos cum virginibus Vestalibus mitterent, pacem, aut certe tempus ad consultandum petituros, teste Suetonio (ss). Variam vero horum legatorum sortem depingit Tacitus, & cum reliqui legati partim vulnere, partim morte adfligerentur, Vestales tamen sua auctoritate suisse tutas, his significat verbis (tt): *Obuiæ fauere & virgines Vestales cum epistolis Vitellii ad Antonium scriptis: eximi supremo certamini unam diem postulabant; si moram interiecerint, facilius omnia conventiona. Virginies cum honore dimissæ.*

§. 17.

Quod testamenta apud Vestales quandoque fuerint adseruata, tribus Virorum maxima dignitate conspicuorum exemplis corroborabo, Julii Caesaris, Augusti & Antonii. Duo priora suppeditat Suetonius, & quod quidem ad Iulium Caesarem, haec perhibet (uu): *Postulante ergo L. Pisone sacerulo testamentum eius aperitur, recitateturque in Antonii domo, quod Idibus Septembribus proximis in Launicano suo fecerat, demandaueratque virginis Vestali Maximae. Testamentum Augusti depositum apud sex virgines Vestales, & eo eviuis erepto, prolatum esse, idem testatur Suetonius (xx), cum quo etiam conspirat Tacitus (yy).* De testamento autem Antonii, Augusto adversi infestique, haec exponit Plutarchus (zz): *Titus & Plancus ad Caesarem (Augustum) transfugere, & Antonii testamentum, quod apud Vestales erat, docuere. Quod testamentum cum Caesar peteret, redere*

(rr) in Julio Caesare, cap. I. (ss) in A. Vitellio, cap. XVI. (tt) Historiarum Lib. III. cap. XXXI. (uu) in Julio Caesare, cap. LXXXIII. (xx) in Augusto, Cap. CI. (yy) Lib. I., Annal. cap. VIII. (zz) in Vita Antonii.

dere quidem virgines noluerunt, sed facultatem fecerunt, ut per se ipsum adsumeret; quo nimurum neque fidei Vestalium, neque auctoritati Augusti aliquid detraheretur.

§. 18.

Varia adhuc restant Vestalibus admodum gloria; sed ea, quam breuissimis potero, absoluam. Augustus de Romana ciuitate optimo meritus, spectandi confusissimum ac solutissimum morem corrigen^s ordinansque, feminis ne gladiatores quidem, quos promiscue spectari solenne olim erat, nisi ex superiore loco spectare concessit. Solis virginibus Vestalibus locum in theatro separatum, & contra Praetoris tribunal, dedit (aaa). Augustum Nero imitatus est, & ad Athletarum spectaculum invitauit & virgines Vestales, quia Olympiae quoque Cereris sacerdotibus spectare conceditur (bbb). Vestalibus vero haec ob sacerdotii maiestatem concessa esse, facillimum est probatu.

§. 19.

Precibus suis Vestales seruos fugam parantes retraxisse, hac ratione Plinius commemorat (ccc): *Vestales nostras hodie credimus nondum egressa Urbe mancipia fugitiua retinere in loco, precatione.* Num vero haec, quae Plinius adserit, fidem mereantur, & num sub precatione preces cum voto pio connexas, imprecationesue intelligentia, haec iamiam neutquam inquirimus.

§. 20.

Ita, quae exhibuimus, gloriae Vestalium inseruierunt haud contemnenda. Sed num de iis, quae restant, idem sit pronunciandum, dubitari merito potest. Vittas insigne fuisse Vestalium, aliqui sibi persuadent (ddd): sed cuiilibet notum est, omnes sacerdotes vittas gestasse, quin imo hostias immolandas vittis fuisse reuinctas. Idem dicendum erit de Inscriptionibus & Statuis in honorem Vestalium erectis, quas legas, si lubet, in Raphaelis Volaterrani Commentario

de

(aaa) teste Suetonio in Augusto, cap. XLIV. (bbb) uti scribit idem Suetonius in Neroni, cap. XII. (ccc) Lib. XXVIII. Hist. Nat. cap. II. (ddd) vide hac de re Andreae Cirino Librum de Urbe Roma, cap. XVII. qui liber insertus est, Tom. II. Thesauri Antiquitatum Romanarum Alberti Henrici de Sallengre.

QK IIc 1466 X 337 2048

de Magistratibus & Sacerdotiis Romanorum (eee). Non quidem
nego, haec omnia fuisse non ultima Vestarium ornamenta; sed eas
ista habuisse cum aliis communia, quilibet fatebitur. Quod vero
quidam dicant, has virgines stupri conuictas ideo viuas defossas esse,
ut ipsae sua sponte mortem obiisse, & vi externa minime trucidatae
viderentur, hoc ridiculum & honorem minus adpetendum esse cen-
se. Hinc de hac earum poena penitus taceo, quoniam ad scopum
meum neutiquam pertinet. Id potius nunc tractandum suscipio,
quod me ad haec conscribenda impulit.

TV nimirum, FRATER, quem amore veneror minus fucato, mihi nunc
es compellandus. Dei & Patronorum pie Colendorum prouida cura
contigit, vt munus sacrum Francohusae obeundum TIBI ante aliquod
temporis spatium demandaretur. Omnes, qui TE amant, hoc factio gau-
dere, facile credes: credes quoque, me in horum numero neutiquam
fore ultimum. Sed vt eo certius de amore meo sis persuasus, publicum
adfectus in TE mei erigere volui ac debui monumentum. Publica quo-
que vota pro TVA salute hic nuncupo. Vides, quae praefaminis loco
de dignitate Vestarium attruli. Si fidiae Deae sacerdotes tantam reporta-
runt gloriam; isti sane, qui seruitio summi Numinis eiusque sacris propa-
gandis fe toto addicunt, multo maiorem, absque dubio, merentur hono-
rem. Hinc vt TV quoque eo, quem sibi expertunt omnes honesti fidique
Dei ministri, fruaris honore, & quod primo erat optandum, Dei summi glo-
riam honoremq; semper augeas, animitus precor. Quando ignis Vestae casu
quodam extinguebatur, non alia flamma, quam solis radis, eum accendi,
fas erat. Quam saepe amor Dei intemeratus & sincera hominum pietas
in animis mortalium extinguitur, quilibet cognoscit. Hinc opto, ut au-
ditorum TVORVM mentes salubribus doctrinis & diuinis oraculis haustis
impleas, & amorem Dei ardentem in iis inflames. Verbo: Viuas semper ex
omni parte, siue animum siue corpus speles, beatus. Sic semper TVA in-
columentate gaudebo. Sic semper TVA fortuna me quoque tanget, pree-
cipue si comperero, TE quoque meo, quicunque is demum sit, statu tan-
gi, & eo, quo huc usque solitus es, amore erga me
ferri integerimo. Vale!

(eee) exhibetur hic liber in Thesauro Antiquitatum Romanarum Alberti Henrici de
Sallengre, Tom. III. p. 945, seqq.

B.I.G.

Inches	Centimetres	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
1	2									
2	3									
3	4									
4	5									
5	6									
6	7									
7	8									
8	9									
9	10									
10	11									
11	12									
12	13									
13	14									
14	15									
15	16									
16	17									
17	18									
18	19									
19	8									

Farbkarte #13

DE
TE VESTALIVM
DISSERIT
ET SIMVL
MINO
NIEL GOTTL
LOB
LLERO
I SVO PERDILECTO
ATE MVNERIS SACRI
SAE NVPER IPSI DEMANDATI

GRATVLATVR

TRAVGOTT MULLERVS,
S. THEOL. STUDIO SVS.

SIS CALENDIS JVNII A. MDCCXXXVII.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

